

SCRIPTA

Numéro Scripta : 287

Auteur(s) : Robert de la Haye, fils de Raoul le sénéchal [particulier]

Bénéficiaire(s) : Lessay, Sainte-Trinité (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1105

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Notice rapportant les donations faites en faveur de l'abbaye de Lessay par Robert de la Haye en Angleterre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instr. Eccl. Const., n° IX, col. 233.

Texte établi d'après a

Quoniam ea quæ antiquitus gesta sunt, etc. Notum sit, tam præsentibus quam futuris hominibus, quod M. CV Incarnationis Domini nostri Jesu Christi anno, indictione XIII, regnante in Anglia nobilissimo rege Henrico, filio videlicet Guillelmi regis, cum venerabili conjuge sua Matilde regali ex progenie similiter orta, Radulpho venerabili pontifice præsidente sanctæ Dei ecclesiæ civitatis Cicestriæ, Roberto comite fratre supradicti regis in Normannia, Philippo rege in Gallia, Robertus de Haia filius Radulphi senescalli, scilicet Roberti comitis Moritonii, nepos Hudonis dapiferi Guillelmi supra dicti regis, homo secularis si totus catholicus, quia spiritualium fructum scilicet vetantibus curis perfecte ex se generare non potest, ad spiritales viros in Dei servitio sustentandos, more arboris infructuosæ vineam sustinentis, annuente conjuge ejus, dedit ecclesiæ sanctæ Trinitatis Exaquensis, quæ sita est in agro Constantino super fluvium Ete, pro anima sua, et pro animabus Henrici supra dicti regis, et reginæ conjugis ejus, de feodo quod dedit illi sæpefatus rex, ecclesias, terras et decimas quæ ad easdem pertinent ecclesias, videlicet ecclesiam beatæ Mariæ de Boxgue, quæ sita est in episcopio memorati pontificis Radulfi, et duas hidæ terræ, et omnem decimam illius parochiæ ecclesiæ. Dedit etiam ecclesiam de Hamtonetta, et terram et decimam quæ ad eamdem ecclesiam pertinent, et ecclesiam sancti Leodegarii de Homstan, et ecclesiam de Bridsam, et ecclesiam sanctæ Mariæ de Bernes, et ecclesiam sanctæ Mariæ de Waburgaton, et ecclesiam sanctæ Catharinæ de Hemtone, quæ est sita super fluvium Tamisiae, quæ tunc fuit Ode de Vincestra, et ecclesiam S. Georgii de Beltone, et terras et decimas quæ ad supra dictas ecclesias pertinent. Dedit etiam illam mensuram frumenti quæ Torecht vocatur de omnibus suis maneriis, cum ecclesiis et decimis. Dedit etiam monachis in supradicta villa quæ Boxgue vocatur commorantibus, ignem in foresta sua quæ ad eamdem villam pertinet, et materiem ad ædificia monachorum in supra dicta villa facienda, et païsson ad porcos suos, et pasturam ad cuncta animalia sua. Hujus donationis testes fuerunt ex parte supra dicti Roberti, Gaufridus de Sartilleio, Radulphus de Carrou ; et ex nostra parte, Robertus Nepos et filius ejus Willelmus, Ranfredus de sancta Opportuna, Ausfridus : et hanc donationem confirmavit rex Henricus propria manu.